...nus
Episcopus Cracoviensis.

Putanowicz Jos. Aloysii: Vivat Iuventuti Academicae solennes.

VIVAT
JUVENTUTI ACADEMICÆ
SOLENNE.
Ad splendidissimum Pontificiam in Cathedram Ingressum
CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI
DOMINI, DOMINI
CAJETANI SOŁTYK,
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DUCIS SEVERIÆ,
EQUITIS AQUILÆ ALBÆ, UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS FAVENTISSIMI CANCELLARII.

Inter festivas exultantis Patriæ & Ecclesiæ acclamationes, publicæ ergò augendæ lætitiæ.


vivâ voce
INTONATUM.
Plausu verò Panegyrico

A

M. JOSEPHO ALOYSIO PUTANOWICZ, Philosophiæ DOCTORE, Matheseos ac Scholæ Dialecticæ PROFESSORE, Collegii Novodvorsciani PRÆSIDE, Sacræ Regiæ Majestatis SECRETARIO, Privilegiato Mathematico, Regio & Jurato GEOMETRA.

DECLARATUM.
Annô Domini 1759. Die 29. Mensis Aprilis.

602 IN GENTILITIA ARMA
CELSISSIMÆ
SOŁTYKIANÆ DOMUS



Hæc Avis est avium totum Regina per Orbem,
Stemmate quam gestat SOŁTYKIANA Domus.
PRUSSIA Regalis cunas cui struxit Avitas,
ROSSIA post Nomen reddidit Orbe potens.
In LECHIAM translata dein volat Ales ad Astra,
Inde feret Regnis omina fausta suis.

CELSISSIME PRINCEPS ANTISTES ILLUSTRISSIME.

PUblicos inter applauſus quibus Te Pontificiam ingredientem Cathedrã cùm Regni Cives Ampliſſimi, tum numeroſiſſimus vaſtiſſimæ Diœceſis Clerus, atq; ingens geſtientis populi multitudo ſtudioſiſſimè proſequuntur; ſolenni etiam JUVENTUTIS ACADEMICÆ voto, quod ex intimis devinctiſſimorum cordiũ

depromptum medullis vocali intonat ore, aliquem pro incomparabili Tua humanitate locum concedes. Patentiſſima quippe incredibilis benevolentiæ Tuæ virtute, quâ Nervas, quâ Trajanos, quâ Theodoſios, temporibûs ſuis commendatiſſimos adæquas PRINCEPS Optime, æquè Procerum corda quibûs jam dudum inviſceratus es, ad exprimenda quà CONCIVI Ampliſsimo publicæ lætitiæ documenta moves: æquè Venerandos Sacrorum Præſides, quorum integerrimos affectus ſuavî amoris imperiô tenes, ad perhibenda officioſiſſimæ propenſionis quà Pontifici deſideratiſſimo teſtimonia excitas: æquè ſubjectum ſuaviſsimo regimini gregem, quem præveniente virtutum Tuarũ fama, abſens etiam in fidele deviciſti obſe-

quium,

quium, in festivas quà PASTORI
Sancto & Sapienti voces animas: ac Phœbo Musisq; sacrata JUVENUM ACADEMICORUM pectora; Magno Tuo Nomini devotissima; quà CANCELLARIO & Literarum Protectori faventissimo in solennes urges applausus. Quis enim ex fortunatissimo Tuo Præsulei in fastigiũ honoris Ingressu immensum gaudiũ non concipiat? ubi frons, oculi, totusq; ad amænitatem graviter compositus vultus Tuus singulari quadam jucunditate intuentium animos perfundit. Quis Pontificiæ dignitati eô quô par est non militet obsequiô? quando quidem quantò Te virtus & natura sublimiorem fecit Principẽ, tantò humaniorem inferioribus, populoq; carissimum modestia & affabilitas præbet. Quis solenni expecta-

tissimæ

tiſſimæ hodiernæ lucis actui non officioſiſsimè applaudat? ubi tam æqualiter ab omnibus ex adventu Tuo lætitia percepta eſt, quàm paribûs omnium expetebaris votîs, quæ tamen ipſa cum Tuo ingreſſu crevit, ac propè ad ſummum gradum eſt provecta. Dabis verò veniam pro ſumma clementia PRINCEPS Ampliſſime, quòd publicæ augendæ feſtivitatis gratiâ ACADEMICA noſtra JUVENTUS lætas ſub æthera attollat voces: hæ ſi plauſū creſcere non facient; reverentialem certè quô in Principes ſuarumq; Muſarum Mecænates feratur, affectum teſtabuntur. Fatemur quidem mente ingenua, eam nobis Orationis facultatē deeſſe, ut dignum aliquid Magno SOŁTYKORUM Nomine, dignum Tua PRINCEPS Majeſtate,

dignum Pontificio honore in mediū adferre valeamus: ſatìs tamen me hercule pro bona in Te voluntate noſtra adferemus, ſi Celſiſſimum Tuum Nomen, Principe dignas virtutes, ſumma in Orbe Lechico merita quà ore vocali, quà obſequentiſſima veneratione Gentium & terrarum ubiq; celebraverimus. Glorioſis utiq; Viris gratioſiora multò ſunt præconia quàm tributa, cùm ſtipendia & tyranno impendantur, laudis autem prædicatio nonniſi bono Principi debetur. Nihil hic dignum laude judicamus, præter Te ipſum, adq; Illuſtriſsimos Tuos Aborigenes, nihil quod admiratione legentium ſuſpēdat animos, præter Heroica Majorū Tuorum facta, nihil ſublime præter virtutum eminentiam, Tuiq; Celſitudinem honoris. Totum verò id

quale quantumve ſit, gratum tamẽ Tibi futurum ANTISTES Illuſtriſſime autumamus, præſertim quòd communem Diis & Principibus eſſe intelligamus naturã: Qui pretioſa acceptant monera, ſed nec quidem thura deſpiciũt Sabæa, ubi carior oblatio deeſt. Suſcipe igitur Magne PRÆSUL breve hoc obligatæ gratitudinis argumentum, complectere ea quâ aſſoles humanitate ſolenne JUVENTUTIS ACADEMICÆ votum: vive ſeras vegetus ætates & tuo & Patriæ bono SENATOR Ampliſſimus; felix fauſtusq; Eccleſiam rege PRÆSUL & PASTOR Optimus: Academicas benignè protege Muſas faventiſſimus CANCELLARIUS: Ducali prædudente Purpura Celſiſſimus PRINCEPS ad Eminentiſſimos honores proveharis.

PANEGYRICUS.

TAndem aliquando ruptâ tædiosæ expectationis morâ, publica populorum adimplens solatia, dum exultantis Patriæ, gestientis Ecclesiæ, applaudentis Academiæ manibûs, Coronati Vavelli in verticem, Pontificii ad sedem deportaris honoris; hôc Te multa per sæcula receptô, nobis semper solenni salutationis institutô prosequimur: VIVE PRINCEPS, PRÆSUL, SENATOR Amplissime. Brevis quidem hæc plausuum Jagelonicæ Palladis tessera, sed ingens immensi voti argumentum est; dictio voce angusta, sensu mentequè eò profundior, quò altiùs arcanis cordis infixa visceribus, præconcepta animô studia & erumpentem in voces urget affectum, reluctantem verò interdum linguam in officium consalutandi resolvit. Vulgarem & promiscuum

610 esse plaudendi modum, non inficior, si laudatissimæ consvetudinis ratio habeatur: satis tamen festivum & solennem quodsi nostra in Optimum PRINCIPEM piet as & propensio pensetur. Quippe quod aliàs usuvenisse existimatum, in præsentiarum indispensabili obligationis jure à nobis vindicatur; id verò tantò libentiùs præstamus, quantò fortiùs vehementi amoris virtute ad augenda jubilantium gaudia, atq; publicos geminandos protrahimur applausus. Ii porrò quô nam construantur artificiô, quâ elaborentur industriâ, qua cogitatione effingantur? quid opus ut solliciti angamur; suggerit amor quod negat ingenium: illos videlicet & officiosam in paginam transfundimus, & elevatiori intonamus voce, quibûs publicam lætitiam, quâ cùm universum Sarmatiæ Regnum, maximè tamen omnium florentissimum Poloniæ latus Diœcesis Cracoviensis personat, amplissimìs accrescere augmentìs, summìsq; augeri gradibûs autumamus. Profectò nihil in medium afferetur; quod aut in explicando ingenuæ mentis candore sincerius; aut in profundenda votorum plenitudine uberius; solennì Juventutis Academicæ VIVAT, intelligatur. Præsertim cùm votivum hoc acroama ut alibi exhaustìs jam pæne integrìs Oratoriæ facultatis viribûs, enervato eloquentiæ robore, totaq; absoluta oratione, ultimam ap-

plau-

plaudenti ſermoni coronidem imponit; noſtro ex adverſo more, laudibus Ampliſſimi PRINCIPIS & PRÆSULIS præludit, ſparſa verò per numeroſa folia & protenſas aliorum Panegyres vota & apprecationes brevi unius vocabuli in compendio præſentat.

Enimvero quô titulô amplior magìsq; feſtivus Magno Tuo Nomini PRINCEPS Celſiſſime accedat plauſus? cujus ſalus & integritas, quò ſtrictiori fœdere cum communi Patriæ bono, & Eccleſiæ emolumento conjuncta ſociataq; eſſe creditur: dum Tibi hanc concordibûs votìs, unoq; labiò, proſperam, æquabilem, perpetuamq; corde, animo, voce precamur: ejusmodi declamationis genus eò magìs, & Tibi perjucundum, & publico perquàm plauſibile fore nobis perſvaſum habemus. Non invidemus ſua Antiquitati ſalutandi officia: ritus, cerimonias Veterum minimè æmulamur, ſuperbiant triumphalî pompâ ad faſtum, inſoleſcant ſplendido ad oſtentationem apparatu priſca tempora: excipiantur Magni Principes univerſo non tantùm acclamante populo, humanis ſed etiam vocibus garrulus interdum pſittacus, crocitansve votivum quidpiam immurmuret corvus; fulgeant lampadibûs, tecta, Septizonia, Arcus, Pyramides, Obeliſci, aut excelſi in triumphum aſſurgant Coloſſi, coronentur floribûs, Pario marmore publici viarum ſternantur aditus; erit profectò inter horum ſolemnia aliquid loci & plauſui noſtro, niſi fortè ad lucrandum Principum corda, promerendos favores pluris putetur, fatuo aſſentationis colore ſui oculos eludere, mentem infaſcinare, quàm ardentes cordium

 pyras

pyras in triumphales excitare ignes, ſeu ſinceram obligati pectoris teneritudinem votorum pleniſſimo ore conteſtari. Accendat hodie Tibi PRÆSUL Illuſtriſſime feſta lumina Cracovia, ut olim viridantibus redimita ſertîs adventanti Neapolis Magno, aut Romanorum morem ſecuti, victrices præferendo palmas obviam PASTORI ſuo univerſi procedant Cives, ſternant pulcherrimo flôrum ornatu Appiam, laborabunt nihilominus lumine tædæ, palmæ in ferales degenerabunt taxos, floridus marceſcet decor: noſtris quæ erumpit de cordibus puriſſimi âmoris flamma non in æternum deficiet, fatidicæ Muſarum laurus, quibûs ſacrarum Tui plantarum coronamus veſtigia, perenne ſervabunt fronde virente decus. Quid verò amabò arte excitati ignes ad augendum hodiernum juvant applauſum? craſſis potiùs hercle damnandi tenebris, ubi Cracii Vavelli vertex ardet lætitiæ incendiô, Gentilitiæ Majorum Tuorum Ceræ, totaq; *ILLUSTRISSIMA* SOŁTYKORUM *Domus* in honorariæ lucis appenſa ſphæra, immenſo quodam lumine, velut meridiano Sole, ſpledidiſſimum Tuum PRINCEPS Celſiſſime irradiat Ingreſſum. Convolent numeroſo agmine ùt quondam ad Cæſaris Auguſti triumphum futuræ prænuntiæ ſortis alites, quæ inuſitato humanitatis compulſæ ſtudiô, crebro garritu & muſſitatione ſua ſalutationis certatim exſolventes officia, publicas acclamationes accumulent: quorſum hæc importuna garrulitas? quorſum ambidextra adulatio? tam procul à veritate, quàm procul à ſenſu remota, exeſto infeſta ſemperq; feralis volucris; ubi SOŁTYKIA Aquila Regio clangore raucas crocitantium voces confundit, fau-

ſta PRINCIPI ſuo auguria ferens. Liceat cui libuerit ad ſuperſtitionem declinante religione ut Theodoſio olim clementiſſimo & affabiliſsimo Imperatori, taurorum extis, & cæſarum victimarum cordibûs ad Capitolium progredienti viam ſternere, quid ſibi vult nihilominus gulæ potiùs Aruſpicum, quàm Principum gloriæ conſecrata hæc vitulorum caro? ubi Tu glorioſiſsimus æquè ac felix cordium humanorum Triumphator ad Templum Pontificii honoris proveheris, omniumq; linguîs celebrandus occurris, ibi devincta pectora in prædā ſpolium, & votivam heccatomben immolamus. Dandum tamen aliquid honoris ob canorum reſpectum venerandæ Antiquitati, non omnes veterum ritus reprobo, placet illa Memnonis ſtatua, ad Solis exortum vario concentu audientium aures oblectans, quaſi advenientem Phœbū hâc dulcî harmoniâ ſalutaret. Solem Te agnoſcimus PRINCEPS Ampliſsime, qui dum ſerenam vultûs Tui Majeſtatem Cracium ſupra Horiſontem attollis, dum Illuſtriſsimos tuæ gloriæ radios Lechicum per Orbem diffundis, amænoq; Tuo univerſa exhilaras aſpectu, quis Tibi in noſtris exorienti oris plauſus non occinat? quis lætum votorum concentum non exhibeat?

Dignum eſt compenſari prolixô gaudiô ſeram ſalutationem, æquum Te PONTIFICEM Deſideratiſsimum officioſo proſequi plauſu, lætitia etenim pandit mentis arcana, nec in homine ſimul amor & ſilentium morantur. Vita Civium es Magne PRINCEPS, quem infidele Tui non animabis obſequium? Cor populi vocari mereris, quem non ſubditorum influxu tuæ gratiæ vivifices, cui

non lætum ſpiritum infundas? à quo communis hilaritatis fons & origo in ſingulos derivatur. Ades magna Præſulum Gemma, Magnus Lechiæ Senator, tantò avidiori pupillâ ab omnibus ſpectatus, quantò magìs Diœceſi decus, Vavello pretium, Muſis tutamen, Urbi præſidium, omnibus ſolatiũ Tecum inferre cenſeris. Hinc univerſi Præſuleo tuo honori, & felicitati noſtræ ſicut applaudimus; ita præſentî animô & geſtientibûs votîs Te Pontificiã ingredientem Cathedram gaudemus comitari. Habes præſtò lætam Diœceſis frontem, Urbis faciem, habes effuſa Civium pectora, & undiq; confluentis populi oculos ac animos in unum vel ideo compoſitos, ut Te omnes eodem plauſu conſalutent, eodem vultu ac cultu venerentur. Proſpiciunt Te alii avidô oculô illum, qui Patriam inter malleum & incudem poſitam ab ictu ferali conſervas, alii frontis tuæ Majeſtatem reverentur, & ex reverentia rapiuntur in amorem, alii magnanimitatis virtutem admirantur, alii incomparabilem liberalitatem celebrant, omnes uno labio Patrem Patriæ Ampliſsimum, Senatûs Poloni Conſum in omnes Reipublicæ tempeſtates circumſpectum & providiſsimum, Eccleſiæ Sponſum intimô dilectionis vinculô totaq; animâ agglutinatum, Diœceſani gregis Paſtorem Optimum, Coronati trino diademate Vavelli digniſsimum Antiſtitem, Principem virtute gloria & honore Celſiſsimum profitentur. Ea ratione; ad auſpicatiſsimum Tui Ingreſſum auget ſua ſolatia Patria, multiplicat Eccleſia gaudia, ſublimis Montis Regii vertex ampliſsimîs lætitiæ incrementîs accreſcit, ipſasq; nubes tranſcendere videtur, Urbs ſua ampliat vota, Regni Schola votivo Muſarum per-

ſonat

sonat concentu, dant corda patentia plausum, ipsæ Tyaræ gestiunt, quæ si per naturam loqui possent, solæ Tibi prolixas laudes fundere, voceq; applaudere solenni studerent. Talis tantusve Reipublicæ Senator, Ecclesiæ Antistes, Cathedræ Doctor, Optimus Severiæ PRINCEPS, Jagelonici Athenei Cancellarius, dum omnium cordibûs diligendus, omnium animîs colendus, omnium linguîs celebrandus ades: non Te novîs dignari titulîs, aut inusitato quodam salutationis ritu prosequi audemus. Numen Te Terrestre veneramur, an potiùs Numinis in Te authoritatem reveremur, perinde non salutandum, sed ab omnibus adorandum intra nos judicamus. Tracûm morem sequimur, ter digitô labra compescendo impares nos esse tanto Hospiti salutando profitemur, & inter tam alta silentia, vocalis nihilominus cordium nostrorum acclamatio audienda se offert VIVE PRINCEPS.

Personuere hi plausus toties, quoties sive Coronati Regnorum Soles depulsa tristi mæroris nocte, sedata malorum tempestate, Polono exorirentur in Cælo, ad quorum adventum aut Augustæ Majestatis radiîs accensa subditorum arsisse oportuit pectora, aut rapto in gaudia exultare spiritu, aut per exigui oris angustias de internis cordiũ penetralibus in publicum prosilire expediebat lætitiam. Sive quoties gloriosissimi post bella Principes, Invictissimi post susce pta prælia Monarchæ, victricibûs coronati laureîs, numerosô vinctorum hostiũ comitati mancipiô, amplissimîs onusti spoliîs, triumphali in Regiá proveherentur curru, Jagelonicæ Palladis Athletis non aliud intonatum Classicũ, non aliud celeusma ingeminatum, idem semper omnium ora personabat VIVAT,

614 & exordium, & terminum, triumphis, plausui, & victoriæ imponens. Sive quoties Augusti Hymenæi face accensum, clarissimum publicæ felicitatis diē læta concelebrabat Polonia; inter festivam circumquaque resonantem harmoniam, inter applaudentis Orbis tripudia, inter populorum vota, venerantium officia, effusas passim gratulationes, Cracius tamen Apollo idem semper cecinit epinicion, eodem plausu cæterorum studia adauxit. Sive quoties Cracias Turres, Civium corda, Reges, cara Pignora Regum, Principes, Summiq; Imperatores fortunato subintrarent pede, nostrum etiam solenne acroama adventantium sequebatur vestigia, & inter populares acclamationes validiùs cæterîs insonabat. Hôc & Te salutationis genere prosequimur, hoc cum jubilo excipimus PRINCEPS Amplissime! non vulgare est me hercule; quod nonnisi Magnis Regibus, Optimis Principibus, Summisq; in Orbe Viris tribui concediq; solet. Quemadmodum ergo nemo mortalium adeo est vitam pertæsus; qui crebriores etiam longævæ incolumitatis apprecationes molestiùs ferat: Nostrum pariter si optantium corda, sed Tuum proprium & peculiare, si voluntatis nostræ objectum attendatur, solenne VIVAT grata ut speramus PRÆSUL Illustrissime mente, & summa tua complecteris humanitate.

Atq; hôc tritô quidem, sincerô tamen votô, Ingenuæ Juventutis Academicæ candorem, quem obligatissimo erga Te PRINCIPEM suarumq; Musarum PROTECTOREM & CANCELLARIUM Amplissimum nullâ respersum maculâ in pectore fovet, testatum haberi velis. Non opis nostræ esse fatemur; ut magnitudinem gloriæ tuæ te-

nuita-

nuitate eloquii metiamur, & *Principes* tuas virtutes, atq; *ILLUSTIRSSIMOS MAIORES* tuos condignô celebremus encomiô, sed utiq; indocili numero, nudaq; prece coli non dedignantur Superi, si quis puram castamq; mentem sacras sui intulerit in Ædes. Non quantum sed à quali voluntate sit profectum perpenditur, & ubi defuerint vires, voluntas ipsa rectum petens laudem meretur, in magnis rebus, atq; perarduis negotiis, satis est etiam voluisse. *Promptus* itaq; officiô, licèt obsequiô impar, dum ad auspicatissima Tui in Cathedram Ingressûs solennia, amplissimam hanc laudum tuarum *Provinciã* aggredior; quod si eam dignè pro Majestate, dignè pro honore *CELSISSIMI* Nominis gerere non potero: incredibilem tuam hac in parte appello Clementiam! ut imbecillitatis meæ conscius, id totum magnitudini gloriæ & virtutis tuæ velis tribuendum. Hoc nempe est *Principibus* Viris singulare decus & ornamentum, quod & Soli indulsit natura, ut tantò majorem gloriæ diffundant lucem, altiùsq; in auge honoris consistant, quantò minùs tremula intuentium in eos potest vibrari pupilla. Salvâ igitur magnitudine tua PRINCEPS Celsissime, audeam Oratoriis periodorum funiculîs immensas tuas metiri laudes; utiq; vastissima terrarum moles exiguô interdum punctô concluditur, & infinitus Cælorũ ambitus palmari absolvitur circulô, nec eô tamen sua amplitudo decrescit. Summum gloriæ tuæ humilis non petet svada, procumbet ad Sacram Fimbriam prostrata dictio, & PRINCIPIS vestigia lambet: ut pote quia magnis animis sæpiùs exilia placuere.

VIvere, commune mortalibus fatum, optimam tamen conditionem eorum dixerim, quibus Illuſtriſsimæ Majorum Ceræ primum vitæ accendunt mane, reliquum diei quod ſupereſt, Æterni à radio Solis, & publica rectegeſtorum luce dependet. Omnibus quidem vivendi ſors una accidit, qua ex parte vitalis trahitur aura, ſorte porro diverſiſsima vivunt, quorum ut naſcendi, ita nec agendi conveniunt figuræ. Non eſt res magna vivere; ſed iis qui mediis oriundi de tenebris, ipſâ debilioris lucis ſatiantur uſurâ, puriorem in radium quodſi audeant vibrare pupillam, cæcutiant: at quibus easdem cum Sole Lucina poſuit cunas, quos Aviti circumſtant ſplendores, lucidiſsima virtutum cingit corona, eorum vitæ juſtum valorem quis ſtatuet? quis pretiũ ponet? Quippe graviſsimo Orbis judiciô ij duntaxat hominum, faſtis viventium computari merentur, quos heroicus unà cum alto ſanguine à Majoribus deſcendens præterquàm quòd animet ſpiritus, & immortalitati transmiſſa Avorum Atavorũq; Nomina ſui cum vita reſuſcitet: ſed inſuper propria rerum geſtarũ gloria, æviterna venturæ poſteritatis in memoria vivere & perennare facit. Hos verò qui fluxa cum natura omnia induti mortalia, eodem damnante cæpere & deſiere ſidere, ſolum nihil poſt ſe relinquendo magnificum, quis de viventium numero non meritò deleret. Gloriâ vivimus homines; hæc ſi Prædeceſſorum comparata laboribûs, ſummîs generoſi ſanguinis empta impensîs, heroica ſuccedentium nepotum virtute ad ſummum provecta faſtigium, natalem quorumdam honeſtaverit diem, ſubſequentem ætatem clariſsima illuſtrarint merita: Diis ego illos ſimillimos cenſerem;

quos

quos licèt sua virtus immortalitate donârit, magni tamen interest, num Jove processerint Parentes. Palmaris profectò est vitæ decursus, cui consummata Majorum præludunt Olympia, illaq; à meta primus movetur passus, ubi graves meritis Patres bravium exantlati reportarunt laboris: quâ semitâ virtutis dum magnæ incedunt animæ, eò tandem gloriæ provehuntur, ut nulla hominum ætate, nulla temporum oblivione immortale eorum nomen in posterorum memoria possit aboleri. Absolutissimus ejusmodi dicendus dierum numerus, quorum primum instans, plura exacta revocat sæcula, indeficienti virtutum æternitati cætera commensurantur momenta. Dixerat quispiam vitam theatro non absimilem; optimè: quæ scena spectabilior? quàm dum Illustres Aborigenum Ceræ, Atavorũ imagines, parti Æmiliorum triumphi primo sese offerunt obtutui; dein heroici ausus, suscepti pro Patria labores, transacta laudabiliter merita, continuata serie visenda succedunt. Hæc est me hercule superabundans vitæ plenitudo, quæ in ipso fonte Erythræum purpurei sanguinis exhaurit Oceanum, hoc ingens pretium usuræ cui intrinsecus valor à virtute accedit. Quibus nobilis Lucina alta cunabula struxit, almô nascentes excepit gremiô, infantes pavit Junonis lacte, Divæ Charites evolutos fasciis, ad generosos formârunt gressus, magnam indolem ad egregios composuere mores, eorum præclara nomina famâ celebrantur, monumentis Annalium mandantur, immortalitati propagantur. Ejusmodi sublime vivendi genus singulare & rarum admodùm est; Magnis duntaxat in Orbe commune Viris, per Thronos, Purpuras, Fascesq; vagatur,

 pere-

ad præſentis ævi invidiam non ſine omnium ſtupo-re jactat. Sequar tamen in dubiis tutiorem naturæ agendi modum, quæ à minoribus incipit ut ad ſū-ma perveniat: quanquam in Laudibus noſtri PRIN-CIPIS omnia maxima ſint, quidve minus vocari poſſit, non reperio. Quare ut condignè Ampliſſime PRINCEPS adoreris, habendus eſt præ primis tuorum Natalium reſpectus, ut ſolenniter ſcribaris, purpureo alti ſanguinis rubiconi intingam pennam, ut rectè ſupra lineam Familiæ cadas, regulam pro-cedentiæ per Atavos Avosq; admovebo, ut plauſibi-liter Nomen Tuum proferatur, Majorum characte-re notabitur, ut dilucidè claritudo ſua appareat, Illuſtriſſimas accendam Ceras.

Domus Tua Celſiſſima Magne PONTIFEX communi ſuperior fato, à primis fundamentis altū gloriæ tenuit, architecto Magnorum Herou m labore ad ſummum honoris provecta, ſemper in culmine, ſemper in faſtigio conſiſtit. Ruunt alibi in ſe ma-gna ſummisq; ſtare diu negatum, quia tempore menſurantur: Domum Tuam æternitas metitur, & ideo ſæculis ſolidatur, ætatibus renovatur, non ſuis è cardinibus fatorum violentiâ movetur, non tempori cedit. Præcelſa SOŁTYKIA *Domus* Au-guſtum honoris Capitolium eſt, in eo Divini He-roum vultus, cara Deorum ſobole Dædalos & My-rones opera ſua & labore abſolvente nobili merito-rum cælaturâ ſculpti & ad vivum expreſſi viſuntur, in eo triumphales Arcus, victricia Septizonia, Py-ramides & Coloſſi, Symbola heroicæ fortitudinis ad ſæculorum admirationem aſſurgunt, tum prin-cipe loco Toga & Sagum faſces & ſecures, pacis & belli inſignia in eo congeſta repoſitaq; ſpectantur.

Quid-

Quidquid fortuna volubili sua rotâ cæteris Familiarum invexit splendoribus, quidquid Sarmaticus honor Altissimis concessit Prosapiis, totum id in hanc Domum coacervavit, ut meritò ipsius honoris & fortunæ hæreditaria dici mereretur. Nec stupor! nunquam non potuit non elevata Styrps ista, videri, quæ prima sua ab origine per apices & fastigia dignitatum gradiens semper altum petebat, nec habuit quò se demitteret, cùm vastissima Dominia Fascibûs, Mitrîs, Imperantium Sceptrîs impleverit, victricibûsq; Heroum Laureîs omnem cumulaverit oram. Nullô non sæculô non debuit honorari, quæ omni ætate, de Religione, Patria, & multorum Regnorum felicitate optimè merebatur. Nullo non in loco celebratissimam apparere non oportuit, quæ ubivis Gentium & terrarum gloriosissimîs commendabatur gestîs. Præter triumphales Æmiliorum currus, præter assurgentes vernantium trophæorum sylvas, præter victoriosos Magnorum Heroum arcus, eminet etiam Augustîs Cæsarum Thronîs, abundat maturata titulorum messe, fortes non solùm Bellatores in acie, etiam graves in Senatu Consules recenset, ut nihil desit, quod aut ad magnificentiam, aut ad Geneis Vestræ splendorem Illustrissimi PROCERES desideretur. Quæ singula ut evidentiùs declarem, & quasi oculis subjiciam, liceat jam ad *DOMUS* Vestræ principia Orationē reflectere, utiq; nec Soles se lucido evolvunt Orbe, nisi aurora præcesserit, nec Olympus conscēditur, nisi priùs ad radicem constiteris, ut gemmam pisceris Erythræum petendum.

Prima Celsissimæ SOŁTYKORUM Prosapiæ dum diligentiùs initia exploro, talia vel in primo

ſeſe offerunt limine, ut potiùs perfectô conſumatū opus artificiô, & omni numerô abſolutam ſui ſtructuram videre mihi videar. Cæpit illa qua finis erat, primordia tanta pauca admodùm nomina habuere. Quid mirum? ea eſt rerum illuſtrium natura, ut origine ſua nunquam parvæ, ſemper appareant ingentes. Tumeſcunt quidem ex atomis montes, ſed non nubiferi Atlantes qui bajulis humerîs grandem Cælorum ſuſtinent molē: exiguis flumina arctantur fontibûs, ſed non immenſa æquora, quæ ambitu ſuo integram circumalluunt tellurem: menſibûs creſcit, donec cornua impleat Phœbe, ſed non ſereniſsimus Aſtrorum Princeps, qui in primo etiā maximus conſpicitur ortu: explorant pupillam priusquàm Solem aſpiciant Accipitrum pulli, ſed non Regia Aquilarum propago, quæ ſimulac naſcitur toto lumen haurit aſpectu.

Prænobilis SOŁTYKIUS Sanguis jam tum cùm è ſuis fontibus erumpere cæpit, fluvius navigabilis erat, ſubitò fœcundantibûs omnia aquîs, per Imperia & oras diffuſus in purpuratum excrevit Mare. Ubi Vandalus Poloniæ in Balthydem ſe exonerat, inde originem SOŁTYKII Sanguinis Hiſtoriarum monumenta derivari teſtantur, ſenſim vaſtiſsimos terrarum emenſus tractus, ad Boryſthenis uſq; & Tanais oſtia deflexit. totumq; per orbem diſperſa flumina ſuum revocavit in amnem. Regalis Pruſsiæ (ùt Annalium fide docemur) Regiæ Aliti Avitum fundaverat nidum, ex quo magnanima SOŁTYKORUM propago publicum evolavit ſub Solem Regio hæc ut cætera naturæ quibûs abundè cumulatur beneficia prætereaṁ, ſitu ſuo Arctoā Mundi ſub plagam divertit, indomitorū belli Mar-

tiſq;

tisq; Cultorum omni sæculó feracissima fuit. Huic Te, huicce tuos PRINCEPS Aborigenes Orbis debet, his terris, cedat terra, (Cretensis partus, Jovis gloriata cunabulis, & geminis Delos reparata Numinibus, & alumno Hercule nobiles Thebæ, fidem constare nescimus auditis, Semideos Heroas SOŁTYKIOS Prusia dedit, quos videmus, colimus, miramur. Verùm tacita hìc quorundam studia subaudio; quòd cùm Prusiã natale solum SOŁTYKIANÆ asseram Prosapiæ Illustrissima tamen eorum Nomina subticeam; quinam SOŁTYKII acies contra hostes instruxerint; qui signa prætulerint? qui Castra præcesserint? qui Poloniam strenuè defenderint? sanguinem profuderint? minimè recenseam, nec signa, tabulas, munimenta Domûs in medium adducam. Hæc si à me quispiam quærat, aut in animo secum reputet, ad tollendum dubium in promptu est & ratio & argumentum. Signa quæruntur? nonne eadem sunt SOŁTYKIIS quæ & Prussiæ Arma? eædem utrisq; Aquilæ ad præliaria prævolabant negotia, sub ijsdem auspiciis & Prusia militârat SOŁTYKIIS & SOŁTYKII pro Prusia decertârunt. Eadem Heroicâ dexterâ & Patria Magnos Heroas SOŁTYKIOS ad generosos formabat ausus, & strenuissimi BELLATORES SOŁTYKII victrici palmâ, in Nativo Solo triumphales plantârunt laurus, irruentia hostium strenuè reprimebant agmina, & terga fortiter cedebant. Idem Ensis utrisq; communis, quem non aliter PROVINCIA sive ad vindicanda jura, sive scelera proscribenda, sive metandum Castra, sive hostes perimendos vibrari voluit nisi per strenuas manus SOŁTYKORUM Assertorum Libertatis, Justi-

tiæ Vindicum, fortiſsimorum militiæ Ducum. Eædem Coronæ ſive poſt cæſas acies, expugnatas Urbes, ſervatos Cives, profligatas Claſſes, Campeſtres, Murales, Obſidionales, Navales, & *Patriā* triumphantem, & Victorū filiorum tempora præcingebant. Inde aut totam Pruſsiam in Illuſtriſsima SOŁTYKORUM vixiſſe Domo, aut ſolos SOŁTYKOS ut olim pro Roma Fabios, pro Pruſsia pugnâſſe credamus neceſſum. At tabulæ munimēta petuntur; quæ tabulæ? hæ in bello Moſchovitico unà cum fortiſsimo Bellatore SOŁTYKIO abreptæ, & in Roſsiā abductæ ſunt, atq; univerſa Pervetuſtæ Domûs hiſtoria hoſtibus in prædam & ſpolium ceſsit. Quæ ut clariùs intelligatis rem ut geſta ſit, enarro. Inſonuerat Gentium & terrarum ubiq; vocale Magni SOŁTYKORUM Nominis echo, tranſcendit Patrios limites, per Regna & Urbes volitans nuntia tantorum Heroum gloriæ fama, narrabantur eorum facta, celebrabantur geſta, laudabatur etiam in hoſtibus virtus, animum generoſum & cor impavidū etiam feri ſtupebāt populi, non tamen ſinè invidia audire, ſinè livore ferre, ſinè æmulatione laudare, famā, geſta, virtutes potuerunt. Acuit tandē hæc optima Virorum portio famelicam Roxolanorū orexim, arriſit inſano inſipidæ gentis palato, hoc gloriæ condimentum, placuit tantîs Struthionum ſtomachos innutriri cupediîs, jamq; dentes armant, ut Loricatos Hectores velut minorem abſumant bolū. Intentat ergo Polonis arma Moſchovia, numeroſum conſcribit militem, caſtra conficit, maximum impenſi auri, profuſi ſanguinis ſuſceptorum laborum, totiusq; exacti belli in eo ſtatuens pretium, ut gēmas Virorum SOŁTYKOS Lechicæ excutiat Coro-

Coronæ. Nec ſpes eluſæ, ſucceſsit adverſo Marti (ſic Superîs fortunam Regnorum verſantibûs) alea prælii, ingenti Polonorum clade, in hoc tamen irreparabilî damnô: nam dum dexterrimi SOŁTYKII more ſuo, nativa calcar virtute addente, primi inimica invaderent Caſtra, & velut excuſſum dextrâ Jovis tonitru victoriosiſſimi Heròes in hoſtes ruerent, unus eorum Imperatorias altiùs inſectatus Aquilas ceſſit in prædam furentum. Unus ceſſit, nec ſolus; ceſſerunt omnes ſui Majores, ſive qui in Toga graves cenſebant Conſi, ſive qui in Sago fortes bellabant Hectores, ſive qui in Areopagis decernebant Ariſtides; ceſſere vivîs ſanguinis & meritorum coloribûs adumbratæ Avorum Atavorumq; Imagines, ceſſerunt Æmiliorum triumphi, Scipionũ exacta prælia, omnes ſemel dico SOŁTYKII quosquos in ante coluit & mirabatur Polonia (ubi Hiſtoria Pervetuſtæ Domûs ab hoſte abrepta eſt) in ſpolium ceſſere. Quid tantæ victoriæ deeſſe potuit? quâ tot celebres SOŁTYKORUM victoriæ occubuere, & ipſe triumphus captivus ducebatur. Dii boni! quis hìc publica geſtientis Roſſiæ gaudia ediſſerat? quis plauſus? quis feſtas voces? quis acclamationes? gratulabantur ſibi invicem tantâ ſinguli fortunam, jo triumphe! ipſum audiebatur, lætum celeuſma usq; ad ipſos Cælos pertingebat.

Captivus tandem dum in Moſcoviam abducitur SOŁTYKIUS, inter ſylveſtres Faunos, aut ubi immanes Tygrides ſua cubilia ſternunt damnatum ſe iri autumans, Patriam ex improviſo offendit, eò virtuti ſuæ glorioſiorem, quòd feram & barbaram Gentem ad cultiores mores, & humanius vitæ reduxerit inſtitutum. Ita porrò; heroica Virtus extra

omnē servitutis ubivis versatur metū, libera plenē, & nescia portare jugum. Erythræi ut pretiū gemma, etiamsi cæno obruatur, nativam nihilominus pulchritudinem retinet, sic virtus quòcunq; eam projeceris, suam vim exerit, sive in libertate sive in carcere, adversis sive prosperis rebus. Tuta sunt Heroibus discrimina, ubiq; terrarum patet gloriæ campus, quocunq; palmari processerint passu, nunquam sine comitatu honoris. Quàquà versùm Macedo movit victoriosum pedem, ubiq; laurus & triumphales excrescebant Corymbi, sive Tyrum expugnabat vel Bactra, sive Euphratem mariaq; tranabat, sive frondiferas præteribat sylvas, sive gelidam tendebat ad Arctum, Magnus omni locó & Gentium terror. Triumphanti sive captivo par fortuna militat SOŁTYKIO, ab ubere quidem Matris *Poloniæ* amotus, nec tamen Moscoviam novercam sensit. Imò si Lechiæ & Rossiæ Conditores germanos fuisse Historiæ evincit authoritas, ab utraq; Sorore SOŁTYKIOS amore & honore fuisse habitos, Annalium fastis docemur. Eâdem pæne claritate & fulgore seu in Lechico Cælo, seu Hyperboreo Axe Illustrissimum sui radiavit Nomen, imò quantò propiùs versùs Polum accesserat, tantò elevatiori honoris cernebatur in gradu constitisse. Consederāt in Curulibus, tenuerunt Clavas in *Polonia* gravissimi Senatores, invictissimi Duces SOŁTYKII, in Rossia quoq; pacis & belli librarunt momenta, æquè in Toga efficacibûs consiliorum oraculis servárunt Cives, Justitiæ protexerunt Asyla, legum munimenta propugnârunt, ac in Sago fulmina belli Scipiadas, contra hostium colluviem adversis opponendo pectora rebus sese præstare sveverunt. Domi

per

per faſces numerârunt Avos, foris per Majeſtates & Imperantium Thronos. Longam viam aggreſſurũ me credo, in qua & abſolutiſſimæ fatiſcerent gradationes, ſi dexterrimos Heroas SOŁTYKIOS, ſi primos quibus fungebantur honores, ſi ſtrenuè geſta Miniſteria, atq; glorioſa eorum in Roſſia facta, ut in chartam hanc traducerem, extra *Patriam* iter ſuſcipere vellem; & Oratorii quippe extenuarentur ſpiritus, & robur eloquentiæ deficeret, quia tamen ad laudem Tuam *PRINCEPS CELSISSIME* facit plurimum cognatus Majeſtatibus honos, Dignisſima ſui Nomina licèt non orando complectar, numerando nihilominus abſolvam.

Pluribûs SOŁTYKIIS quos compendioſa capere non poteſt *Panegyris* altô adoratîs ſilentiô nobilisſimum aliquot Tuorum Aborigenum agmen Illuſtrisſimus MICHAEL SOŁTYK Miniſter Statûs & Palatinatus *Præſuleo* Tuo Ingreſſui in applauſum ducit. MICHAELEM memini, Roxolanæ Aſſertor Gentis, Hyperborei Gradivi ferventisſimus ſpiritus, Civium ſalus, & hoſtiũ amor nominandus potiùs erat. Ille critico Imperii in ſtatu ubi jam omnia deſperata eſſent, & extrema lethali Patriæ vulneri adhibenda forent remedia, dum jam videlicet & Gentis totius Caput mentis & conſilii inops ſummo ſervilis pœnæ cruciaretur dolore, & funeſtô bellorum incendiô ingens Moſcoviæ membrũ (ni potiùs maximo commenſuraretur corpori) abſumptum victricî ferrô Bellicoſisſimi SIGISMUNDI *Poloniarum* Regis reſcindendum exporrigeretur, ingraveſcenti morbo maturô proſpexit conſiliô, ſicq; ſaucium ſanavit Patriæ corpus, ut ne quidem cicatrix ſupereſſet. Ferme actum fuiſſet

de Rosia, ni jam jam prolabenti infractus Alcides fortes suppofuisset lacertos. Ad SIGISMUNDUM Poloniarum Regem nomine Procerum & Majestatis Legatione functus Filio sui VLADISLAO dum concordibûs omnium votis Moschoviæ deferret Solium, simul Patriæ amissam pacem, Civibus fortunas, Incolis vitam & desperatam restituit salutem. Ingens adeo quia vastissimi terrarum Dominii negotium fortunato pertractavit successu, fortunatiori consumavit eventu, tantumq; venerandæ oris sui Majestate atq; summâ animi prudentiâ effecit, ut ex illo didicisset Orbis: *Summos posse Viros & magna exempla daturos, qualibet in Patria crassoq; sub äere nasci.*

Prodit ordine secundus, nemini alter Senatoria *PALATINUS* Majoris Novogardiæ venerandus Togâ, tota verò metuendus Bellonâ Exercituum Imperatoriæ Majestatis *DUX* fortissimus JOANNES SOŁTYK, tantò dicendi genere sublimior, quantò bellica insignior virtute. Hic dexterrimus Bellator dies vitæ suæ dies Martis censuit, nec alió calculó nisi per victorias numeravit, non alia ei optabilior feria, nisi quâ cruento præliorum vacasset neg otio, non alia potior festivitas, quàm millenas hostium turmas in victimam sacrare Gradivo. Inter pugnacissima sui ævi nomina Alcides aut Decius Septemtrionis vocandus, quoties inivit sævi certamina Martis, semper Moschovia invicta & gloriosa omnem Scipionum Marcellorumq; fortunam sub auspiciis vicisse fertur. Castra Ducum Dux ipse absolvit, cujus sub imperio Clavæ, Rosius Mavors, bellandi artem tractavit, & optimè profecit. Præliares ejus Aquilas semper prosperans sequebatur fortuna, ipsaq; frontem aciei occupabat victoria. Mili-

lita-

litares ex arena tunc legiones subducebat, cùm aut ipsis lassati victoriîs exercitus fatiscerent, aut ubi jam æmulus defecisset Gradivus. Quot hic Heros bella confecerit, quoties adversa fuderit castra, quot laureas legerit, triumphos reportârit, publica Rossiæ divulgat fama, legitur Annalibûs, docetur Historiîs, Parentes natis, & Avi Nepotibus narrant, quæ dum miratur & auscultat posteritas, non tanquam transmissa & præterita, sed cum spe metuq; velut præsentia attonita intuetur.

Par Magnorum JOANNIS Filiorum, gemini PETRUS & BORISSIUS Tyndaridæ, quantùm honorariæ lucis splendore, Illustrissima Celsissimæ Domûs adauxerint lumina, Roxolani fasti & Historiæ monumenta loquuntur. PETRUS SOŁTYK unus de gremio Purpuratorum Patrum, Novogardiæ itidem Palatinus, Vir consiliô & favore Principum perquam celebris. Diu longa laborarunt sæcula, ut gravem hunc Consum Rosiæ suppeditarent, diutiùs felicissimum internæ & externæ pacis Conservatorē tædiosa sui Patria præstolabatur. In sphæram Gentis Togatæ non prepeti ùt Aurora, cursu, sed lento, more Solis processit passu. Sol temporū emensor pro diversitate signorum diversimodè attemperat auram, nunc tempestates ciet, nunc sudū causat serenum. Sic & Ille; florente pacis oleâ, ne sævîs marcesceret Aquilonibûs, lenes providebat Favonios, ardentibûs Bellonæ ignibûs, ne domorum arsissent tecta, ipsiq; nimio æstu adurerentur Cives, irriguos fronte profundebat sudores, tamq; pretiosos, qui nec toto Gange aut Pactolo condignè possent æstimari. Implevit publicam famæ tubam vocalî gloriæ sonô, ut etiam extra Patrios limites Nomen

 men

men ejus virtusq; audiretur. Togam detulit, sed Sagum induere paratus si ita res Patriæ poposcissent. Senatoria consenuit in Curuli, absit tamen ut otiosum dixeris; sub Dio quoq; pro Civium excubare salute æquè illi fuit solenne. Annorum & meritorum plenus numero, maturas Orbis spes & expectationem implevit. BORISSIUS SOŁTYK Curiæ Moschoviticæ Supremus MARESCHALCUS honoris & virtutum pondere gravis, non immeritò Regni Scipioni innixus, solidiora tamen à meritis suis, quàm ab hoc, gloriæ perennaturæ eidem fulcra accessere. Respondit in omnibus suo muneri ex asse, ut dignitas tanti honoris, & Ministerii officium poscebat, in eo nihilominus functionis suæ immemor, quod cùm ad illum pertineret silentia præstare, in virtutis suæ applausum omnes reddidit vocales. Nemini quidem fas publicè loqui, nisi cui vocis potestatem detulerit, hoc tamen ad se maximè attinere Oratores sentiunt, quibus suæ gloriæ amplitudo, quanquam disertissimi audiri vellent, ora compressit altumq; imposuit silentium. Egit ille anteambulonem suo Jovi Mercurium, virgam quam prætulit, ferreas hostibus compedes, aurea Civibus sæcula designabat. Quodsi & more caducei, quispiam in Scipione ejus alas requirit, has quæ per Regnorum volitat aures fama subministravit.

Secundus dein Illustrissimus MICHAEL SOŁTYK calamo occurrit, seq; in paginam effundit, primus tamen ex eo dicendus, quòd Celsitudinem alti Sanguinis usq; ad Thronos & Majestates provexerit. Hunc quô condignô prosequar encomiô? styli altitudo non suppetit, cui Soliorum fastigia

sese

ſeſe in adorationem demiſerunt profundiſsimam, cui Imperii Sceptra in triumphales gloriæ ſe inflexerunt arcus. Dixero Primum Regnorum Mobile? cujus nutu tota Septemtrionis rotatur moles, cujus impulſu Coronati orbes ſuis de cardinibus moventur, parum eſt; Diis quiddam commune habet, cui æquè facile furtivo Promethei ſpiritu clanculum animata Parelia ad æternas damnare noctes, ac nebuloſa obductos tempeſtate genuinos Regnorum revocando Soles in Avitum ſubſtituere Thronum, (a) Dixero Patrem *Patriæ*, ſeniô gravem, laboribûs confectum, gloriâ provectum, parum dixi; ni etiam Celſiſsimæ Familiæ Tetrarcham, Imperatorum Parentem dixero. Hic eſt apex gloriæ Tuæ PRINCEPS Ampliſsime, hoc ſummum honoris faſtigiũ, omni eminentiâ ſuperius, omni elevatius Celſitudine. Concrevit videlicet in purpurati Sanguinis Erythræo favorabili Cælorum fœcundante influxu, inæſtimabilis Moſchovitico inſerenda Diademati gemma *SERENISSIMA* ANNA SOŁTYKIA prænobilis MICHAELIS *Propago* JOANNIS ALEXII Roſsiæ Imperatoris Throni & Thori Lectiſsima Conſors, ſummus amor & pretium, nec alii quidem inſeri debuit annulo, niſi quô longè latèq; patentia per Aſiam & Europam Regna Celſiſsimæ SOŁTYKIÆ æterno fœdere deſponſarentur *Proſapiæ*. Ita actum eſt arcanô Deorum conſiliô quæquæ in melius ordinante, ut quæ Domus nuper captiva cum triumpho deduceretur in Roſsiã, eadem ipſa mutante fortunâ vices, victorioſæ jura daret Genti, & ſupremos Imperii falces teneret. Nec in una duntaxat *SERENISSIMA* ANNA

I2 Domus

(a) Sereniſſimus Michael Federowicz Roſſiæ Imperator, à quo Moſchovia rebellis deſciverat, dexteritate MICHAELIS SOŁTYK in Patrium Thronum reſtitutus eſt,

Domus regnavit SOŁTYKIA, deſcendit fœcundus Sanguis continuato torrente in Nepotes, influxit in poſteros, perennat in Nepotibus, in poſteris regnat. Nulla eſt in Septemtrione Majeſtas, cui Muricem hic ſanguis non tinxerit, nullum Soliũ, quod non de hac Arbore exciſum, nulla Purpura non conſanguinea, nullus non affinis honor.

Erat *SERENISSIMA* ANNA SOŁTYKIA Ternionis Filiarum CATHARINÆ CAROLI LEOPOLDI Principis Meclemburgenſis, ANNÆ FRIDERICI KETLERI Curoniæ & Semigalliæ Ducis, dein Roſſiæ Imperatoris Lectiſſimarum Conjugum, & PRAXEDIS præmaturô Orbi ereptæ fatô, ex JOANNE ALEXIO ſuſceptarum fæcunda MATER. Erat ELISABETHÆ CATHARINÆ CAROLI Meclemburgenſis Filiæ, ANTONII ULRICI Principis Brunſvicenſis de Wolfenbütel Conſortis æſtimatiſſimæ, tandem poſt fata ANNÆ IVANOVIÆ in Imperatricem nominatæ, AVIA veneranda. Erat ELISABETHÆ PETRI Magni ALEXIEWICZ Filiæ feliciter ad præſens Sceptra Imperii moderantis, & ANNÆ itidem PETRI Magni Filiæ CAROLI Principis Holſtinenſis de Familia GOTTORPEORUM Sponſæ Dignisſimæ fortunatisſima AMITA. Erat PETRI FEDEROWICZ Magni ad præſens ROSSIÆ Ducis, Patre CAROLO Principe Holſtinenſi procreati, futuri in Thronum Succeſſoris AVIA, PAULI verò PETROWICZ Magni Ducis Roſsiæ Filii & Imperii Hæredis PROAVIA *SERENISSIMA*. Antiqua & moderna ſunt, quæ refero SOŁTYKIÆ monumenta *DOMUS*, perennia tanti Nominis gloriæ argumenta, ex quibus diſcat

poſte-

poſteritas, quantùm natura & virtus longa inſudâ-rit ætate, ut nati natorum, & qui naſcentur ab iis Auguſtiſſimum in Imperatoribus, Sereniſſimum in Ducibus, Celſiſſimum in Principibus, Illuſtriſſimum in Proceribus SOŁTYKIUM trudant per ſæcula Nomen.

Libet jam in Patriam redire; ne aut ego foris curioſus, domi peregrinus videar, aut Illuſtriſſimæ SOŁTYKORUM Proſapiæ maximos etiam in Patria defuiſſe honores quiſpiam temerè præſumat. Patuit profectò Magnis Heroibus inter hilaria Poloniæ tempe ùt vaſtiſſimus ſemper gloriæ campus, ita laudatiſſimæ Eorum virtuti ad dignitatum faſtigia nulla via ardua fuit, nulla ad Capitolium Appia gravibûs Patrum trita veſtigiîs uſpiam extiterat præcluſa. Radiârunt in Firmamento Eccleſiæ appenſa Celſiſſimæ Domûs Luminaria, Illuſtriſſimos honorum ad Soles SOŁTYKIA Ales dignitariæ intenta luci ſemper generoſam explorabat pupillã, Nativum Pruſſiæ Solum Heroico SOŁTYKORUM fœcundum ſanguine, alibi in auream trophæorum adolevit meſſem, alibi in ſylvas laurearũ excrevit, jamq; nec palmus glebæ ſuperfuerat, non ubi tamen victrices palmæ triumphali fortiſſimorum Heroum plantatæ dexterâ viridanti vernarent fronde. Fugit ergo otia virtus operoſa, novam ſibi quærit Coloniam, antiquatam offendit, aſt talem quam potiùs condere debebat. Nimirum quà Tyras & Boryſthenes celebres Orientis fluvii nigrum ſe exonerant in Mare, illuc Regio extremũ Ruſſiæ Rubræ latus occupans, ampliſſimis quidem tractibûs protenditur, aſt vaſtâ ſolitudine horrida, crebrîs Tartarorum, Scytharum, Coſacorum &

barbariſsimæ gentis incurſionibûs infeſta, multis à ſæculis ſuppares tanto negotio operarios præſtolabatur, quorum operâ exculta, & rei Oeconomicæ proventu æmulis decertaret cum terris, & Heroica (quo maximè eguit) Civium & Accolarum ſuorũ virtute à graſſanti interliminiô hoſte ſtrenuè tutaretur. Utriq; fortunæ boni Superi providerunt, ubi Magnis Heroibus SOŁTYKIIS Regali è Pruſſia in Bracłavienſem, Kijovienſem, Czerniechovienſem Palatinatus *Patriis* cum bonis, & Avita trãslatis virtute novas poſuere ſedes. Excubarunt Ottomanicam ad Portam vigiles pro Polonia Annibales, ne quis armorum ſonitus ex adverſo perſtreperet, qui placidam *Patriæ* turbaret quietem. Cælum non animum mutârunt, idem ipſis fervens ad prælia ſpiritus, ſive Septemtrionalibûs incaleſcerent pruinîs, ſive Oriente animarentur Sole, eadem utrobiq; dexteritas, idem merendi campus, & præmia æqualia virtuti. Tot tantorumq; Heroum ſi nomina, ſi res geſtas atq; virtutes vellem percenſere orãdo, Chronologum ſtylus ageret neceſſe, & Oratorius numerus facilè in Arithmeticum deſineret. Liceat tamen intrà Domûs Tuæ Atria clariſsimas Avorum Atavorumq; Ceras intueri, favebis amicô benevolentiæ tuæ radiô PRINCEPS, Tibi tribuet, quidquid ex illis lucis & Majeſtatis leget, quidquid decoris prehendet tuum in ornamentũ cedet.

Præſentat ſe primò auguſto in veſtibulo præcelſa VLODIMIRII SOŁTYK *CZERNIECHOVIENSIS PALATINI* Tui Abavi Imago, cujus venerandum vultum & grave ſupercilium virtus Apelles purpureo alti ſanguinis depinxit colore. Quæ ipſi non ineſt vel ex primo facilè noſcenda

aſpectu

aſpectu animi claritudo mentisq; ſerenum? quæ non in radiante fronte ſpectatur Majeſtas? quæ non ex oculis affabilitas emicat? quæ non genas Charites occupant? ſpecies certè hæc digna imperio. Intimiùs tamen & dempto cortice tanti Viri dum perſcrutor naturam, innatam quæ ſe offert magnanimitatem non laudo, commune quippe hoc SOŁTYKIIS naturæ beneficium, Heroicam fortitudinem non celebro, virtus hæc unà cum ſanguine in ſuos nepotes deſcendit, honorem Palatinû non extollo, quippe in hac Domo omnes ſunt hæreditarii, grandius aliquid animum ſubit, quod & Orbem in ſtuporem rapere videtur Vixerat hic SENATOR deflendîs illîs potiùs quàm narrandîs temporibûs, quibûs in Lechiæ fortunam ipſa fata conjuraſſe creduntur. Integer ferè Mundus uni Poloniæ arma intentavit, finitimi populi, pluresq; etiam longinquiores in Reipublicæ corpus vibrarunt tela, jamq; non ferire ſed exanimare etiam animoſiſſimos videbantur. Nimirùm Hunni, Pannones, Tranſylvani, Svecones, Gotti, Vandali, Finni, Lippi, Moſchi & omne hoſtium genus vim Poloniæ inferebant Ukraina avulſa, Czerniechovia ceſſit in prædam furenti Gradivo, Podoliæq; pars nobilior manu Coſacorum abrepta, Ruſſia, Pokuciaq; ab Hunnis & Pannonibus intercepta, ampliſsimi Palatinatus Czerniechovienſis, Smolenſcenſis, Bracłavienſis, amiſſa libertate quæ totô non bene venditur aurô in ſervitutem Moſchoviæ, unà cum Nobilium prærogativis, hæreditatibus, bonis & Perſonis conceſſit. Alios hoſtilis potentia, alios privatæ fortunæ ſtudium, & fructus emolumenti à conſortio & communione Regni Civium ſegregaverat. Ipſum

SOŁTYKIUM quem corpori Reipublicæ amoris vinculum arctiſsimè conjunxerat, non hoſtium metus, non fortunarum diſpendia, non hæreditatum jactura, non commoda privata, non deniq; mors ipſa, quæ Viro forti nunquam turpis accidere poteſt, nec Conſulari immatura, à dilecta Patria poterat ſeparare. Imò potiùs, bona, patrimonium, domos, amicos, atq; ea cætera quæ homini gratiſſima eſſe ſolent, amittere elegit; quàm libertatis, quæ cum vita optimè commutatur, jacturâ periclitari. Ita plerisq; libertatis gemma, quæ in proprio concrevit ſanguine præ Regno carior, nec mancipiis imperare honeſtũ arbitrantur. Neq; *Patria* ingrata; & amiſſas PALATINO poſſeſſiones auró cumulatiſsimè reſarcivit, & virtutem ampliſsimis honoribûs affecit.

Æmilio Affricanus, digniſsimo ABAVO æſtimatiſsimus Tuus *PRINCEPS* Ampliſsime PROAVUS BASILIUS SOŁTYK Czerniechovienſis *POCILLATOR* numeroſo glorioſiſsimorum operũ comitatus ſatellitiô vectigali adorandus ſuccedit ſvadæ. Hic Virorum Optimas & optimus ſingularî rerum geſtarum peritiâ, feliciſsimô gerendarum & conſiliô & ſucceſſu ævô ſuô clariſsimus, non ſolùm in ſui æſtimationem Principes in Republica pertraxit Viros, Procerum & Magnatum conciliavit ſtudia, ſed etiam Regio (quod locum laudis principẽ tenet) JOANNIS CASIMIRI *Poloniarum* Monarchæ ita adhæſerat cordi, ut nec Epheſtio Macedoni plùs eſſet amori. Lucratus eſt in JOANNE gratias, non mendacibûs quibûsdam aſſentationis blanditiîs, aut mellitîs ùt pleriq; aſſolent Regias aures obliniendo verbîs, ſed fidelibûs quod perpau-

eis contigit in Majestatem obsequiîs, fide inviolata, meritîs in Patriam, prudentissimîs in bonum commune consiliîs, amore in libertatem, summîs in publica commoda sanguinis impensîs. Ministerii mẽsuram facilè heroicîs adimplevit scutîs, cui & salubria Reipublicæ propinare consilia, & sitientissimũ nobilis sanguinis hostem, atro intoxicare cruore fuit solenne. Fabulæ *Pòëtarum*; qui Ganimedem ut ad mensam Deorum aureo crateri dulce affunderet nectar, Aquilâ in Cælum fuisse somniant delatum: *POCILLATOREM* SOŁTYKIUM Gentilitia Ales Regiis non solùm conviviis sed & consiliis admoverat, sicq; ad Thronum Sarmatici assumptus Tonantis, inter bellorum amarores suavem sudoris sui ambrosiam in salutem Poloniæ propinavit. Functus fideliter Ministerio Pocillator, sibi etiam auream honoris portionem de benemerentium pane deferri jam jam cernebat, ni præcocibûs fatîs præventus, ipse priùs caninam Libitinæ famem saturasset.

Nullîs satis deflenda lachrymîs tanti Viri jactura eò crudelius cor Patriæ laniaret, ni eam geminum par nepotum sua reparassent virtute. REMIGIANUS SOŁTYK Novogrodensis *DAPIFER* Avi Tui Frater dignissimus, urget in elogia calamum. Et cur urgeat? volant sponte sua in laudes ejus Oratorum pennæ, cujus laudatissima facinora, edecumatæ virtutes omnium linguîs narrari, encomiîs celebrari, efferri elogiô, & aureo charactere notari volunt. Aliis vix una portio laudis contingere solet, *DAPIFERO* nostro tota eloquentia in panegyrim abire debet. Quot actiones heroicas animô imperterritô suscepit, paribûs exantlavit viribûs, tot exquisitissimîs dapibûs *Patriam* tractare visus, solis

infeſtus hoſtibûs, quòd eorum minimè arriderent palato. Quid hìc memorem infame ſimulatorum Numinum ad menſam olim Octavii cænantium convivium? cui conſonum quispiam adſcripſerat elogium: meritò annonæ cariſtiâ Romam hodie torqueri, cùm apud Principem in cæna heri omnia Dii conſumpſerint. Quid memorem aureos Vitellii panes? quid pretioſum Antonii poculum, Regnum in gemma ſorbentis? *DAPIFER* Illuſtriſſimus ne eſuriens aut ſitiens Patria fame premeretur, omnes ei fortunas in alimentum promptus erat offerre, imò etiam generoſum ſanguinem usq; ad ultimam profundere guttam non recuſabat. Lautiùs ejus meritis fortuna honoris obſonium parabat, ipſe interim, maturo gloriæ fructu contentus, ad epulas beatæ æternitatis palmari paſſu proceſſit.

Publicâ Orbis famâ evulgata grandiores laudes & encomia meretur amplitudo virtutum, quibûs Patriam impleverat re & nomine Magnus ALEXANDER SOŁTYK Bracłavienſis *PINCERNA*, AVUS Tuus æſtimatiſsimus ANTISTES Illuſtriſſime. Puer ille induit Sagum, Vir in eo maturuit, & usq; ad venerandam canitiem Bellonæ militavit ſub ſignis. Dum alii aleas luderent, & prætextam deferrent, ille Martis gravî loricâ oneravit lacertos, arma armis laſſandis admovit, periculorũ contemptu, incomparabili bellandi ſpiritu, heroici vultûs Majeſtate Spartanum animi robur præſentavit. Suſpexit Sarmatica militia reſidentem in pectore ceu in Auguſtali ſuo virtutem bellicam, advertit nutu ipſo loquentem bella, victorias, triumphos. Exhibuit ea Mavortiæ fortitudinis tyrocinia, in quæ ſi milites veterani deſinerent, ſatìs ad gloriã

habe-

habent. Non ab alio exempla dexteritatis quæſivit, ipſe omnibus norma, exemplum, idea, ingentis animi ſui plenus augeri aliunde non indiguit. Strenuiſſimis quidem ſub Ducum Magiſtris WISNIOWIECCIO, JABŁONOVIO, POTOCCIO, Caſtra ſecutus, par tamen & ipſe erat Clavā portare, Caſtris præire. Eam profectò ipſi natura indulſit ſpeciem, quó visô Affrica Scipionem crederet, Carthago Annibalem miraretur, Roma Cæſarem adoraret. Quid memorem eius prælia? quid acres recenſeam cum hoſtibus pugnas? vidit eas Victor Orientis JOANNES III. Poloniarum Rex ſemper Invictiſsimus, & nihil dulcius reputabat, quàm cæteris easdem narrare, ad coram laudare, extollere SOŁTYKII fortitudinem. Quantum illi gloriæ ex hoc acceſſerit elogio, facilè quisq; colliget, ſi plus eum eſſe debere quàm hominem, qui Monarchas pro ſe laudatores habet, intelligat. Juvat quippe ad veram gloriam, non à quovis roſtro præconium accepiſſe, cui Regalis Thronus in Cathedram Oratoriam tranſiit, Orbem univerſum ille ſperet Encomiaſtem. Parùm tamen ad ſuæ felicitatem PROSAPIÆ, licèt non parùm ad gloriam duxit, heroica duntaxat Patriam ornare virtute, ni ſimul & nobili fœcundaſſet Sobole, ut continuata poſterorum ſerie Hectoribus ſuccederent Æneæ, vice gemina connubiale firmavit fœdus. SUSANNA de Vetuſtiſſima GOŁYNSCIORUM procedens Styrpe primô votô in lectiſsimam ceſſit Conſortem, quæ maxima Patriæ ornamenta & fulcra in MATHIA & NICOLAO Filiis, Celſiſsimæ in augmentum Domui reliquit. Invidô tandem rebus humanis brevî terris ereptâ fatô, parem Superi

PINCERNÆ SOŁTYKIO Heroinam Illustrissimâ MYCIELSCIORUM oriundum Prosapiâ Calissiensem *POCILLATORIDEM* dignissimam providerunt in Sponsam. Felix sua Conjuge Maritus, felicior tantô Lechia Conjugiô, ex quo Triarii Viri & graves Consules, MICHAEL, ANTONIUS, & JOSEPHUS, numerosaq; Sexûs fæminei propago suscepta, non modicis incrementis Avitam Domûs suæ gloriam propagarunt.

Seniô, charactere & meritis primigenius Fratrũ *ILLUSTRISSIMUS* & *REVERENDISSIMUS* MATHIAS SOŁTYK Margarithensis EPISCOPUS, Culmensis SUFFRAGANEUS, Primus in Regno *Prælatus*, Ecclesiarũ Metropolitanæ Archi-Cathedralis Gnesnensis PRÆPOSITUS & ARCHIDIACONUS, Thorunensis, Łęczyciensis &c. itidem PRÆPOSITUS, *PATRUUS* Tuus primus *AMPLISSIME* PRINCEPS, quônam laudis præconiô ornari debeat? certè par Ejus honori & virtuti elogium non reperio. Ibat Ille per omnes honorum in Ecclesia gradus, functus est omnibus in Republica officiis, quæ suum concernebant statum, & ideo intra dignitatis Ejus altitudinem adorator cogitur repere penna. Ornarunt eum Infulæ, & reciprocus ab eo Tyaris accessit honos, dignus erat *Præsuleis* vittis, antequam Sacrum ejus coronarent verticem, priusquam Pontificiam stetisset ad Aram, vox populi Vocem DEI, Nomen, probitas, scientia, experientia præcessere. Ad Tribunal Regni *PRÆSIDENS* Deputatus, virtutis pondere stateram Themidis oneravit & implevit, ne in ea locum haberet, quod fas & æquum non sonat. Scelerum Vindex, Innocentiæ Assertor, eo Aristide

exul

exulè Tribunalibus Diva Astræa suum repetiit Thronum, fixamq; stationem morata. Vir & bono publico & legibus tutandis natus, virtute, zelò, Religione, Fide, meritis, Ecclesiæ, Patriæ, ipsiq; notissimus Cælo.

Ejusdem Erythræi Gemma pulcherrimæ laudũ Tuarum Coronæ quò majus pretium & splendor accedat, inseri petit *ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS* NICOLAUS SOŁTYK *Premysliensis* CASTELLANUS Supremus Exercituum Regni TRIBUNUS, secundus Tuus PATRUUS Amplissime PRINCEPS. Castellanam emeritus Eques ascendit Curulem, nec tamen Purpuram indutus Sagum dimisit, cum Fascibus secures retinuit, quæ gravis Consul svalerat, ea fortis miles armata exequebatur manu. Destinatus ab Equestri Ordine ex Russiæ Palatinatu ad Comitiorum ferenda sancita LEGATUS, quantùm pro Majestate & commodo Reipublicæ desudaverit, Purpuratorum fidem appello Quiritum. Eum Libertatis Vindicatorem, jus vetandi Assertorem, bonum publicum defensorem, Statuta Regni acerrimum tutorem, concordi votò & uno labiò profitentur. Ad exercendum Radomiense Tribunal JUDEX Deputatus Poloni merita & labores pensabat Gradivi, & deservitam militiæ mercedem, justaq; Heroicæ detulit stipendia virtuti. Nec verò potuit militaris Ordo justiori donari mercede, quàm ubi illum præmiorum superarbitrum delegit, quem solis aluit Bellona triumphis, totaq; sub galeis Mavortia canuit ætas. Heroicis gravatus laboribûs, gravis tandem Senator, in Castellana quievit Curuli, nunquam tamen stationarius est visus, quoties pu-

blicæ fortunæ cardo, in Consultantium prudentia vertebatur. Tanta Senatoris & Bellatoris merita de Republica, tantos pro Patria exantlatos labores, tantos Honores gloriosissimè gestos, vocalis famæ prædicat tuba moderno sæculo canetq; in æternum venturis.

Quô tandem celebrem elogiô? quô laudis genere prosequar *ILLUSTRISSIMUM* ac *EXCELLENTISSIMUM* MICHAELEM SOŁTYK primò VENATOREM, dein DAPIFERUM, tandem VEXILIFERUM, demum præludente Castellana Vislicensi Curuli Sandomiriensẽ CASTELLANUM, tertium Tuum æstimatissimum PATRUUM Illustrissime ANTISTES. Ascendit ille per emeritos honorum gradus, ad hunc quem hodie gerit, & sua attollit virtute, nec præcipiti ascendit saltu, sed suspenso ut virtus solet incedere gressu, gradus fuit unus honor ad alterũ, prælusit secundo dum primum geret meruitq; secundum in primo. Veteranus non novus accesit ad Ministeria, quæ jam pæne gesserat antequam gereret, propterea superavit officia dum ijsdem fungeretur. Alligari uni non debuit provinciæ Vir omnibus aptus, Solis instar signa sui Zodiaci decurrentis, nullum omittit, & in quolibet Sol totus ille est, qui singulis impertitur, & non capitur totus, tam in ortu illustris, quàm in meridie serenus. Post innumeras Dignitates Senatoria ei non potuit deesse Curulis, dignus inter Purpuratos annumerari Patres, qui ut Patrem Patriæ gereret, nihil agere pro Patria intermittit. In publicis functionibus nunquam Tyro, quidni dictũ à senio meritò occupet Senatum. Debebant investiri Togâ ornari Purpurâ lacerti, qui militares thoraces

races

faces, qu Gradivi Sagū detulerunt. Tyrio rubeat in murice, qui digna Cedris immortalibus sine rubore peregit negotia, quem Consilia Apollinem, Comitia Convocationis Legatum,' Legationes Mercurium, Tribunalia Judicem Deputatum, Castra adoravere Gradivum, juremeritò Senatus nunc Consulem adorat. Accrevit plus ultra gloriæ Celsissimæ SOŁTYKIÆ Prosapiæ non tantùm ex gloriosis MICHAELIS meritis & virtutibus, sed etiam ex ILLUSTRISSIMA JOSEPHA de MAKOWIECKIE Capitaneide Tręboволscensi, Castellani Camenecensis Nepte, Lectissima sui primò votò Consorte, quæ præter nobilissimas Naturæ & Gratiæ dotes, Avita quoq; decora in SOŁTYKIAM intulit Domum, eamq; numerosa prole beavit. Conjugem virtute & fortunâ præstantem nactus, nihil ampliùs restabat, quod in vita desideraret, nisi Superis aliter disponentibûs longiori ejus frui licuisset consortio, quàm dum maligna sustulere fata, medetur alto cordis vulneri, mille ferens solatia ILLUSTRISSIMA THERESSIA de MORSTYNIIS PALATINIS Livoniæ, secundô votô desponsata Conjunx Dignissima, & vitæ & Socia laudis. Felici utriusq; Conjugii fœdere, quot non Ecclesiæ & Patriæ ingentia decora accessere? IGNATIUS SOŁTYK Cathedralis Cracoviensis CANONICUS, JOSEPHUS DAPIFER, MATHIAS SUCCAMERARIUS Sandomiriensis, GENERALIS LEYTNANT Exercituum Regni, THOMAS VEXILLIFER Loricatæ Cohortis, CAJETANUS Eremiticum S. PAULI Institutum amplexus. Natu Major Perillustris & Reverendissimus IGNATIUS, singulari sapientiâ, exemplari Religione, summis virtutibûs & moribûs Ecclesiam ornat, Cracium cohonestat Vavellum, Patriam illustrat, dignus ut quàm ocyus (ùt passim per ora populorum vaticinans jam increbrescit fama) ipse quoq; Tyaris & Infulis ornetur. Vltimum Monasticam vitam professũ tantò Religiosus urgentiùs insequitur honos, quantò ab eo remotiùs declinat, Avitos splendores sacris tegendo umbris. Cæteri heroica dexteritate Paternis insistendo vestigiis, strenuè Patriam tutantur, Dignitates & Palatinatuum Ministeria gloriosissimè gerunt, omnes & singuli de Fide, Rege & Lege, Religione, obsequiis, zelô, optimè merentur.

 Quanquam plenô alveô Rhetorica in paginam funderentur flumina, ne guttam quidem perennanti gloriæ ILLUSTRISSIMI ANTONII SOŁTYK Lublinensis POCILLATORIS Sacræ Regiæ Majestatis COLONELLI quarti Tui PATRUI Amplissime PRINCEPS affunderent. Arte ille & Marte potens, tributariam suo honori svadam magnitudine immortaliũ gestorũ ad incitas eloquii redigit. Quoties ille loricatas in aciẽ duxit Cohortes, nunquam dubiũ belli Patria rebatur eventum, semper sub ejus signis militârat victoria, & conjurati non aliter veniebant ad Classica venti, nisi optimam impellentes fortunam. Atlanti huic nulla occurrit gravitas, quam non vicerit, nulla se objecit Martis inimici potentia, quam non fregerit, nullum obstaculum quod pertinaci non superârit labore. Dexterrimus in bello Miles, in pace prudentissimus rerum Polonarum Stator, Sagum trophæis, Togam Consiliorum triumphîs adornavit. Ad singulos Patriæ usus, & ingenium idoneum, & manus aptas præsetulit, utraq; celeberrimus Pállade, gloriam sibi comparavit perennem.

Et hic jam veniat in applausum magnifico ornatissima apparatu, numeroso laudum cincta comitatu Eloquentia, ubi ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS JOSEPHUS SOŁTYK primò POCILLATOR Podoliæ, dein BEŁZENSIS, ac tandem LUBLINENSIS CASTELLANUS Tuus PRINCEPS Amplissime PARENS Dignissimus adorandus adest. In fastos abeat necessum charta, & prolixa absolvat volumina, ut amplitudo meritorum, quibûs Patriam, Senatoriam ornârat Curulem, & numerosissima gloriosorum factorum series quibûs SOŁTYKIAM Gentem totâ Lechiâ commendatissimam reddidit, vel quidem in parte possit recitari. Cor ille Senatûs & vitalis erat Reipublicæ Spiritus, saluberrimîs consiliîs totum Patriæ animans & vivificans corpus. Inter Palatinatuum Legatos ipse habebatur Mercurius, inter tot Ordinum Mercurios ipse Jupiter Stator, inter tot consultantes Statores ipse facundissimus Consiliorum Tripos & Apollo. Augusto Procerum dum sederet in Senaculo, publico

publico Patrum Conscriptorum dum consultaret in consessu bifrontem eum Ianũ crederes, cujus Caput licèt non geminum gemmeum certè summa rerum agendarum ita rotabat prudentia, ut uno vultu in id quod agebatur intentus, alterô hoc attingeret, quod fuerat secuturum. Ut gubernator navis cursum secundum, sic ille fluctuantis Reipublicæ prosperum attendebat navigium, atq; imminentes maturis consiliis & prævidebat & avertebat procellas, Deputatum ad Regni Tribunal Judicem dum ageret, Sacra Themis quæ virulentâ criminum malitiâ lynceum amiserat visum, diligenti æquitatis curâ recuperavit oculos, & Argô centoculô oculatior evasit, Nullus tam implicatus existit causarum Gordius nodus, qui ejus limatissimi ingenii non resciπderetur acumine. Sententiæ nulli votô seu calamô subscripsit, nisi quam Patrona æquitas confirmaret, Cælumq; ipsum ratam & gratam haberet. Nec justum duntaxat in Areopago Aristidem, sed facundum etiam egit Cyneam, cum ad Aulam Berlinensem componendis controversiis ex voto Serenissimi AUGUSTI Legationis functus officio, non sine omni eaq; matura perfectione tractavit negotia, quæ ad bonum Patriæ collimabant. Festivus tanto de Hospite rumor vix Berlinum appulit, illico sua subintrare arbitrabatur mænia, maximos illos Sarmatiæ Oratores ZBOROVIOS, RADZIEIOVIOS, MAŁACHOVIOS, OSSOLINIOS, sed ubi adventâtem ad coram salutavit, Mercurium advertit, in uno collecta omnium decora legit, ex fronte Majestatem Augusti, ex ore Hymettum Hyblamq; Nestoris, Agamemnonis magnanimitatẽ, prudentẽ rebus in agendis moram Fabii, facilitatem in persvadendo Cyneæ non sinè admiratione suspexit. Præterea quòd Legatum & Senatorem se præstiterat, Militem quoq; in acie se exhibuit, ubi Sveticus Leo è Nemæo suo cubili Polonos erupisset in campos, omnes immani suo rugitu replens Provincias, Herculem egit, & victrici clavâ tam feralem prostravit feram. Tantus fons esse debuit, ni eum meliùs Oceanum dixissem, ex quo Tu PRINCEPS Celsissime enatâsti ad cunas, in quo

N Tu

Tu Lechicæ gemmâ Coronæ, benigno Cælorũ concrevisti in fluxu. Materna quoq; quâ in lucẽ prodiisti ANTISTES Illustrissime Genesis, cum Paterno Genere quantò arctiori est fædere juncta, tantò minùs eandem à Tuis laudibus sejungere licebit. Utriq; vitam debes, utrumq; Tuam gloriam & Avita decora auget. ILLUSTRISSIMA CONSTANTIA DRZEWICKA Pervetusta CIOŁKORUM de Styrpe procedens PALATINI Lublinensis prænobilis Soboles, MATER Tua Æstimatissima, quantùm non ornamenti & pretii SOŁTYKIÆ Domui superaddit? cum qua unà pulcherrima honorum insignia, amplissima Illustrissimæ merita Familiæ, magnorum triumphi & victoriæ Herorum sunt illatæ. Illustrissimæ Gentis hujus enumerare Honorios & per singulos ire Majores longa via foret, cespitarent gradationes Oratoriæ, paucîs verbîs simul omnes enumero, gessere omnes honorum titulos, floruerunt sub violis, rubuere sub rosis, utramq; Purpuram illustrârunt, Sagum & Togam, ignorat magnam Historiæ partem, qui decora hujus Gentis ignorat.

Aurea unius vitis germina Germani Tui PRINCEPS Amplissime Fratres aureo merentur charactere notari ILLUSTRISSIMUS THOMAS SOŁTYK Lublinensis SUCCAMERARIUS gradationes Oratorias in Campum provocat, campum illum quem & meritîs & officiô suo metiri solet. Fortuna eum Principem Equestris Ordinis esse voluit, at virtus ei hunc titulum sæpiùs detrahit, cùm per continua amicorum usibus sui impendia familiarem ac medium Nobilitatis facit. Æquum terrarum divisorem quis non fateatur? qui se ipsum quoq; in commoda aliorum partitur. Mirari volui Cælestem animum terris addictum, nisi & hoc divinum foret terras filijs hominum largiri. Natu minor Charactere major Senatorio, ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS MATHIAS SOŁTYK Varsaviensis CASTELLANUS prætiosa Virorum Gemma, ut pro sua posset dignitate scribi, sudante sub tanto Nomine bajulâ pagellâ sæpiùs guttas gemmeo defluere torrente necessum foret, Castellanam quidem Se-

nator

nator occupat Curulē, è qua dum pro Domo negotii publicī perorat, abit in Tullianā Cathedrā. Consus in conclavi, Mars in campo utrobiq; & fortissimus Bellator & gravis Consul, aliàs ex utroq; Cæsar. Ad Generalia Regni Comitia pluribûs vicibûs suffragiîs Palatinatuum electus Nuntius, hoc ore pro bono publico locutus est, quô superos loqui censeremus. Demosthenis certè flumina in illius commigrârunt svadam, quâ adeo multorum animos demulcebat, ut rectè sentientem sequerentur. In Procerum Senatu non tam orare quàm tonare auditus est, quo fulminante Pericle pallebant Clodii, expirabant Caligulæ, Catilinæ decedere cogebantur. Senatoriâ ad nunc dum eminet Purpurâ, ea agit, quæ & innata SOŁTYKIIS virtus, & honoris ratio persvadet. ILLUSTRISSIMUS FELIX SOŁTYK Zvinogrodensis CAPITANEUS, Vexillifer Loricatæ Cohortis Serenissimi AUGUSTI Regis, sub signa sua militantem honori suo invitat svadam. Titulum hunc aliis regina pecunia passim conferre assolet, huic Regina virtutum fides in PRINCIPEM, & propria merita detulerunt. Involavit palmam Ejus Lechica Aquila, semperq; in victricibus palmis nidificat. Caput Argi centum luminibûs oculatum non ita circumspectum erat, ùt ille Capitaneus publico prospicit bono. Justitiæ & virtutis cùm sit Arbiter, Oratorem nihilominus crimen committere jubet, & contra artem sæpiùs peccare, amplificari in eo nihil potest, cùm omnia maxima inveniantur, translatîs in ejus laudes uti verbis non licet qui propria illaq; gloriosissima obtrudit facta. THADÆUS deniq; & JOSEPHUS SOŁTYKII Domo sua Illustrissimi, vitæ instituto Religiosissimi, silentiô nequaquam à me præteriri possunt, cùm & inter umbras, eorum virtus latere nescia, in publicum erumpat Solem, nec gloriæ magnitudo inter angustas arctatur cellas. THADÆUS Sacerrimum Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum Ordinem amplexus, in omnes aliàs liberalissimus & munificus, solis Oratoribus parcus & injurius, quòd se ob religiosam modestiam parce, laudari demandet, JOSEPHUS Reformatum Seraphici Pa-

tris Francisci vitæ institutum professus, Religiosas inter umbras satis illustris quas morum innocentiâ, sanctimoniâ cordis, ardentissima in DEUM Cælitesq; Divos pietate reddit illustrissimas.

Laudator ILLUSTRISSIMÆ SOŁTYKORUM Familiæ calamus, recto procedentiæ incedens tramite, tam prolixum emensus tractum jam jam in fine deficit, ut numerosissimis Cognatis Familiis impar sit decurrendis. Etenim quotquot Magna Nomina proximo consangvinitatis nexu Celsissimæ DOMUI colligata numerat, tot novæ ut consurgant panegyres opus fore existimo. DOMUS SOŁTYKIA Pantheon esse creditur, Romano eò Augustius, quod in illo commentitiorum Deorum adorâsset simulacra superstitio, in hoc omnium terrestrium Numinum, Illustriumq; Lechiæ Nominum conventum extra fabulas veneremur. Huc Gentilitia *DRZEWICCIORUM, MORSTYNORUM, DZIAŁYNSCIORUM, MAKOWIECCIORUM; MYCIELSCIORUM, GOŁYNSCIORUM, ROSNOWSCIORUM, RZEWUSCIORUM, CZAPLICIORUM, MALACHOWSCIORUM, DEMBINSCIORUM, PIEGŁOWSCIORUM, LIPOWSCIORUM; WODZICCIORUM MORSCIORUM· PRZEREMBSCIORUM, DENHOFFIORUM, SZŁUSZKOWIORUM, ZALUSCIORUM, SZEMBEKORUM, KRASINSCIORUM; SILNICCIORUM, CZERNORUM, MICHAŁOWSCIORUM, SZANIAWSCIORUM, KOCHANOWSCIORUM, KUNICCIORUM, WYZYCCIORUM, KOSSORUM, STADNICCIORUM, LANCKORONSCIORUM GRUDZINSCIORUM, KONARZEWSCIORUM ANKWICZORUM NAKWASCIORUM, SKRZYNSCIORUM &c. &c.* Familiarum Decora collata spectantur. Hic Augustæ Ducum RADZIWILIORUM, POTOCCIORUM TRUBECCIORUM, WORONIECCIORUM Principũ JABŁONOWSCIORUM OSSOLINSCIORUM, Imagines appensæ tota Atria exornant, Hæc DOMUS Celsissima totaliis millenîs Primorum in Polonia Nominum Sagô Togâq; clarissimorum splendoribus

inquilinæ

inquilinæ lucis communicatione adaucta, semper in meridie Honoris & Gloriæ consistit, nunquam ad occasum declinat, semper conspicitur Illustrissima.

Tot tantiq; sunt Majores Tui, hæc proximo consangvinitatis gradu connexa Nomina, quæ ad Tuam PRINCEPS Amplissime laudem attinent, interiit eorum vita non fama, vixisti in ijs omnibus sed non totus, vivunt in Te omnes, sed tantùm pars Tui. Majores sunt & minores, nec dedignantur esse minores, ut Tui sint. Crescunt ex Te, crescis ex illis, mutua laus vestra est, & alternum elogium invicem estis. Circumstant Te summæ Authoritates, quæ Te oblivisci laudis domesticæ non sinunt, quæ Te dies noctesq; commoneant, fortissimum Tibi Patrem, gravissimum Avum Atavumq; fuisse. Tua hæc profectò gloria est, ita tamen Tua, ut & alijs propria esse non cesset, noscit Te Orbis ex Majoribus, & eos in Te aspectat. Ut tamen genuinam Tui PRINCEPS imaginem oculis omnium subjiciam, ut qui nam sis? sciri & videri possis, nudum Te inspiciam. Quare deponam Patrimonium, deponam honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuam, & animum contemplabor, qualis quantusve sis? alienô an propriô magnus? Si quondam Aureliano Augusto felix ac fortunatum portendisse Imperium testantur Annales, quòd puerum atque in cunis adhuc vagientem, Aquila aureis è cunabulis extulerit, in Aramq; portarit: qualem ex Te PRINCEPS infante etiam Patria spem ornamentumq; futurum augurari non debuit, quem & Gentilitia Ales, ùt non degenerem prolem, ad radium Solis Æterni explorandum implumem jam aptabat, & Magnus Pater Æneas & Avunculus Hector, puerilibùs annîs exceptum, ad Aras ad Avitam Religionem, ad omne genus pietatis applicuit, & instruxit. Quòd si non frustrà Viri doctissimi asseverant naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & vultu hominis ac membrorum decore colligi posse quantus illos Cælestis Spiritus intrârit habitator. Itaq; in Augusto Tuo vultu videntur omnia signa virtutum, in fronte

650 gravitatis, in oculis clementiæ, in genis verecundiæ, Justitiæ in sermone. Quanta in facie tua non gratia & authoritas relucet; qui Te vel primo aspectu offendit, velut Numinis occursu obstupefactus consistit, simulq; in reverentiam Tui trahitur & amorem. Pulchrum Dii boni! & Cæleste miraculum, PRINCEPS in matura ætate constitutus: adhuc tamen in Te in dies crescunt & augentur virtutes, in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter majestas, perstringit simul & invitat affectus. Bellè verò cùm nôsti Illustrem natalium splendorem, fulgentiùs in animo radiare, qui toto scholastico Sole circumfunditur, ipsamqꝫ virtutem tantó clariorem putari. quantò arctiorî vinculô Musis conjuncta & literis fuerit sociata: hinc Pierios ad fontes Prædecessorum speculabaris imagines, ut egregiam indolem maximorum capacem ad Paternæ virtutis formares exemplária. In ætatis prætexta nihil prætextatum præter annos gessisti, iamq; ex Te puero optima sibi auguria ominabatur Polonia, quæ solatia Patriæ, quod Senatui decus, quæ Majestati emolumenta, quæ libertati commoda eventura forent. *S*uspexit in Te tanta virtutum semina, dicere debui auream in vere messem, Primus Princeps Regniq, Primas Magnus ille POTOCCIUS. cujus judiciô vix dum juvenis, Canonicus Gnesnensis renunciatus, cæpisti, quà finis aliis erat, primordia tanta honoris pauci admodùm meruere senes. Juventã quam pleriq; ludis & luxui devovere assolent, Tu optimis quibusvis perdiscendis artibus, scientiisq; consecrâsti. Domesticos prætergressus lares, in Urbiũ & Gentiũ omniũ arcem protraxisti cursũ Olympicũ, docta stadia indefessus emensurus Athleta. Palmares Tibi fuere passus, quibûs braviũ Laureati honoris Romana in *Sa*pientia, eruditæ in præmiũ reportâsti virtutis. *N*ovit Te Ausonius Tyberis, & in Tua præconia plenô decurrebat alveô, novere septẽ illi colles, & sua Tibi submiserunt fastigia, suos fasces Romulus inclinavit. Quanto fueras Purpuratorũ Patrũ amori, quanta celeritate Christianæ Reipublicæ Cardines ad tuos volvebantur nutus, testantur viva voce, quibus benignior

nignior

nignior fortuna, Tua familiaritate gaudere, tuo vitæ viæq; consortiô frui indulsit. Ulteriores annos Regno Liliorũ concessisti, ab ijsq; candorẽ non maculã (ùt hîs temporibûs depravatîs usuvenit) aut aliquã fuscedinẽ derivâras. Perspexisti curiosè optimas Gentiũ leges, diligenter annotâsti cultissimos Aularũ mores, quibûs cardinibûs Res quævis publica vertatur quibûs condiatur analectîs Civilis politicæ status, imò quibûs Curiæ instruantur ornamentîs, sedulò advertebas, & quod optimũ domi deesse videbatur, peregrinis ex oris redux invexisti in Patriã. Quid post reditũ ab exteris egeris? ubi locorum fueris? quid meriti & laboris pro publico impenderis? ad quos honorum gradus? & quibûs passibus processeris? iam ad finem vergens orátio prolixiùs non recitabit. Novum quippe Panegyris deberet auspicari exordium, ut ea sermone absolvere, calamô condignè valeat exarare. Hæc tamen quia nulla ratione altô silentiô præterire possum ijsdem verbîs, quibûs nuper Perillustris & Reverendissimus FRANCISCUS Comes de *Schwartzemberg* CZERNY Cánonicus Cracoviensis Auditor Curiæ Vestræ CELSITUDINIS in gratulatione sua usus fuerat, absolvenda mecum constitui. Defectui svadæ ne id imputes PRINCEPS Amplissime! sed potiùs in summum meum Gloriæ Tuæ studium velis refundere, multum enim mehercle adjicitur laudum dignitati honore laudantis, parvum autem putatur, quod à non magno commendatur. Sic ille: „Te „majorẽ in modum lætamur electum esse = Quem Noster ille „immortalis memoriæ Cardinalis LIPSCIUS Cracoviensis „Præsul, singulariùs adamavit, suumq; tam probô, doctô, o„mnibûsq; præclarîs dotibûs commendatissimô Canonicô ex„ornavit illustravitq; Capitulum, quem in innumeris maximisq; „semper & Ecclesiæ Polonæ & Reipublicæ negotiîs egregiè „cõtinuòq; exercuit, ac ad summa formavit, quem deniq; eti„am ultimæ voluntatis suæ interpretem & Executorem pera„manter constituit, & jam tunc sua amplissima Cracoviensi „Sede dignissimum nedum judicavit, sed & palam clarèq; „prædixit. Nec vana fuere auguria. Eodem quippe tempo-

„re justissimô REGIS arbitriô post peractum summo cum
„plausu in supremo Tribunali Regni VICEPRÆSIDEN-
„TIS munus primus post Episcopos hoc in Regno
„Prælatus, Præpositus nempe Gnesnensis creatus, brevi ad Epi-
„scopatum Kijoviensē Senatoriamq́; Regni Curulem pervenisti,
„ut meritò dici possit; celeriorem esse virtutis tuæ & meritorum
„cursum, quàm ætatis. Fructum autem omnem maiori debere
„esse in pretio, qui ocyùs aliîs maturescit. Episcopus jam Kijovi-
„ensis, Divino cultui, religioniq́; promovendæ, mentibus ho-
„minum sapientiâ Christiana & virtute imbuendis, Clero ad
„doctrinam sacrosq́; mores formando, Templis & sacris locis in-
„staurandis, è fundamentis Tuo sumptu & curâ ædificandis, bo-
„nis Ecclesiasticis tum vindicandis, tum in meliorē statum re-
„ducendis, totus omnino incubuisti, ipsā quondā Antecessorum
„Tuorum sedem, multis inaccessam Kijoviam visitasti, Ortho-
„doxos in fide firmando, errantes ad fidem revocando, Teq́; ve-
„rum Pastorem omnium exhibendo.„ Hæc sunt merita Tua
certè amplissima o PRINCEPS. brevibûs quidem compendiata
verbis, sed quæ ingentia volumina possent absolvere, & grandi-
oribus implendis sufficerent fastis; nunc breviter virtutes Tuas
attingam. Quid ego de Prudentia dicam? quâ Te credimus
omnibûs potiorem, circumspicis diligenter & præscia mente co-
gnoscis imminentes Reipublicæ procellas, & easdem maturô
cōsiliô sedare nôsti: vides, quæ à frōte à tergo, à lateribus tela corpus
Patriæ impetant, & inexpugnabili judicii tui scutô, velut se-
ptuplici Ajacis Clypeô, aut Achenæô protegis murô, tantar umq́;
rerum sustines molem indefessa virtute, unde Tibi magna laus,
meôq; judiciô maxima accedit. Huic è vestigio Sapientia suc-
cedit, quæ priori perfectionem novam tribuit, imò usq́;
ad summum facit crescere gradum, Tibi verô singularem glo-
riam & æstimationem conciliat. Quis enim communem illam
quidem sed veram Platonis vocem non audiit? tum demum
Civitates & Imperia felicia fortunataq́; fore, cùm eorum mode-
ratores optimarum artium & scientiarum studiîs essent exculti,
vel eruditos ac sapientes audirent, illosq́; in consilium adhiberent.
Meritò sibi hanc felicitatem nostra Respublica gratulari debet,
hac sorte gaudere Senatus, quòd Te Sapientissimum rerum sua-

rum

rum nanciſcantur Statorem, cujus Prudentiſſimus æquè ac Optimus Rex AUGUSTUS Dominus meus Clementiſſimus rectam agendorum rationem, ſummam humanarum Divinarumq; rerum notitiam, notam bellè perſpectamq; cùm habuerit, ſuis adſcivit conſiliis, Tuoq; in ſenſu perſiſtit, tuæ acquieſcit ſententiæ, & quaſi Te manu ſua Reipublicæ habenas moderatur. Frugalitatem quod attinet, hæc ſingulari hercules digna & laude & admiratione videtur, non enim nimia profuſione ad luxum, nec ſummâ parſimoniâ ad avaritiam deflectit, ſed mediâ tutiſſimè incedit viâ. Interrogandus mihi pace Tua PRINCEPS videris, ſatisne computàris Ducales reditus? an tantas vires habeat frugalitas Tua, ut tot impenſis tot erogationibus ſufficiat? Nam quid eſt cauſæ? cur aliis quidem cùm omnia rapiant, & rapta retineant, ùt ſi nihil raperent deſint omnia, Tibi cùm tam multa largiaris, & nihil auferas, nulla deſunt. Quantæ verò eſt Tibi curæ, ne quis expers Liberalitatis tuæ fiat? priùs ſoles indigentium cauſas reſpicere, quàm inſpicere Perſonas. Nullus obex tenuitati debilitatiq; ſi Te expetere non poſſit, prævenis manibûs illum, qui non valuerit ad Te pedibûs pervenire. Tranſit in alienas Provincias vigilantia Tua, & in hoc curæ Tuæ latitudo diffunditur, ùt longè poſitorum conſoletur anguſtias, hinc fit, ùt ſæpe terſeris eorum lachrymas, quorum oculos non vidiſti. Relucet etiam mirificè in animo Tuo ſumma conſtantia & fortitudo, quæ Te nec rebûs proſperis attollit, nec triſtibûs ſinit dejici (quanquam mihi videris æquabilē, proſperam, perpetuamq; Tibi deſponſâſſe felicitatem) ſed utrâq; immotum reddit fortunâ. Sapientis quippe putas eſſe, quidquid homini accidere poſſit, id præmeditari, ferendum eſſe modicè ſi advenerit, majoris eſt omnino conſiliô providere ne quid tale accidat, ſed animi non minoris fortiter ferre ſi advenerit. Quod ſi Clementia nullum magis ex hominibus, quàm Principem deceat, licèt olim Principes, quorum nulla re præter crudelitatem nobilitatum eſt imperium, ſe magis ad exterorum terrorem, quàm ad ſuorum amorem & benevolentiam fingi pingiq; curaverint; hi fulmen Tonantis, aut clavam furentis Herculis, alii Martis fulminantis haſtam, alii Neptuni ferocientis tridentem, terroris deportando inſignia: SOŁTYKIUS Noſter, qui Principis faciem

654 quàm personam gerere mavult, aliâ ad authoritatem graditur viâ, & in oculis amorem, in vultu benevolentiam, in fronte serenitatem, in ore gratiam, gladium in manibus sed pacis oleâ hebescentem, in pectore lilium, omnibus deniq; corporis & animi votis humanitatem præseferre gloriatur. Cui si Clypeum Alcibiadis, in quo simulacrum cupidinis tenerâ manu fulmen vibrantis mira depictum arte dederis, nullius quàm amoris viribûs Principis arma vel fulmina cohiberi posse docueris. Hoc videlicet præcipuum est vitæ tuæ totius PRINCEPS Amplissime atq; laudis argumentum. Quid verò magìs gratiosum reddit hominem? quàm modestia, quod quidem virtutis genus, nec Tibi PRINCEPS unquam defuit, nec poterit deesse, Celsissimus cùm Majestate tua adoreris, tuâ Te modestiâ contines. Non prosperâ insolescis fortunâ, non summìs superbis honoribûs, tantòq; magìs excellis omnes & præstas cæteris, quod Te unum ex nobis putes, nec minùs hominem esse, quàm hominibus memineris præesse. At mutant secundæ res animos? nostrum Principem si nondum mutaverint, quando mutabunt? cujus unquam Divinior felicitas fuit? paucissimos inter annos, tot absolutis honorum gradibûs, ad Principem provectus est dignitatem, quæ majora expectabimus DEI præmia, quæ uberiora dona fortunæ? Videte num secundìs rebûs elatus aliquid prioris vitæ mansvetudine, & moderatione mutaverit? Mutavit planè mutavit, nam Civilior factus prosperorum infregit invidiam. Hæc igitur sunt Te Principe dignæ virtutes Magne PONTIFEX! hæc amplissima de Ecclesia, Majestate, Republica merita, quibûs cumulatissimè ornatus dum felix faustusq; PRÆSULEAM ingrederis Cathedram, præter universum singulorum gaudium, diutissimum Tui in gratis pectoribus excitas desiderium, qui cùm Te ANTISTITEM, PASTOREM, CANCELLARIUM Nostrum Optatissimum, corde, animô, voce studiosissimè prosequimur:

Solenne Tibi æternùm precabimur

VIVAT.

30